

sed ex parte singulorum magnatorum Turcarum, idque ob diversas rationes, maxime vero propter ingluviem avaritiae et auri famem; deinde ex parte zelatorum Islamismi s. d. »derviš«; ac denique ob rivalitatem cum schismaticis (orthodoxis).²⁰ Conditio diversarum confessionum in Bosna breviter sic describi posset; confessio Mahumetana erat religio Status ac proinde praedominans, aliae vero omnes toleratae erant. Sed, quia in terra numquam fortis disciplina existerat, illae aliae confessiones plus vel minus expositae erant impugnationibus et vexationibus ex parte Mahumetanorum, qui erant domini terrae. Propterea ecclesia catholica in Bosna, quae omnibus hujusmodi impedimentis resistere poterat, nullatenus in statu infantiae dici potest; potius dicenda est ecclesia firma et fortis, in diuturna lucta pro sui conservatione vivens, quam terra et ecclesia missionum. Enim vero, semper sub Turcis etiam clerum indigenum proprium habebat tam pro officiis minoribus, quam pro dignitate episcopali et provinciali regularis provinciae. Hierarchiam ordinariam possidebat usque ad a. 1735. Ratio introductionis et character institutionis Vicariorum Apostolicorum jam ex prius dictis patet. Non enim talem rationem regiminis natura et conditiones provinciae ecclesiasticae suadebant, sed ingerentia catholici imperatoris austriaci. Ulterius adjungamus, quod ibi fortis et independens provincia regularis cum omnibus juribus et oneribus aliarum provinciarum Ordinis florebat; deinde tota cura animarum in parochias formales divisa et gubernata fuit. Omnia haec populus catholicus solus sustentabat, atque solus exactiones exorbitantes de proprio solvebat, exceptis casibus extraordinariae impositionis (tunc Franciscani in regionibus liberis sufficientem summam pecuniae emendicare nitebantur). Itaque S. Congregatio praeter suas commendatitias litteras, vix vel vix aliquoties majorem summam pecuniae pro fidei sustentatione, vel pro quodam missionario instituto ad Bosnae utilitatem impen-

²⁰ Archiva in conventibus de Bosna plena sunt testimoniorum de hujusmodi extorsionibus et litterarum protectionalium, quas potestates locales ad petitiones Franciscanorum dabant eis. Multa ex conventu de Fojnica publici juris fecit Matasović J., Fojnička regesta, Spomenik (Srpska Kralj. Akademija) 67, 1930, 61—405.